

DISSERTATIO PHILOLOGICA

De

CONFESSIONE
EVÆ,

Ex Gen. IV, 1.

Quam

*Consentiente Ampliff. Facult. Philos. in
Regia Academia Aboensi,*

Sub PRÆSIDIO

*Viri Max. Reverendi atque Ampliff.*Dn. ISAACI BJÖRNKUNDI
L. L. Sacr. Prof. Ordin.*Bonorum Examini modeste submittit*

PETRUS FORTELIUS G. F.

Biörneburgensis,

Loco Consueto, die XX. Novembr.

A. MDCCXXXI.

Excud. Reg. Acad. Typ. Joh. Kiämpe.

VIRO Nobilissimo atque Amplissimo;

**Dⁿ. SAMUELI
FORSEEN,**

Per Provinciam Aboensem, Börnebur-
gensen ac Alandicam, Secretario Solertis-
simo, Laudatissimo, Patrono & Nutritori
et Optimo, ita omni officiorum genere
etatem suspiciendo, colendo.

*Q*uod, Nomen Tuum, Patrone Propensissime,
exiguo huic operi praefigere vix sustineam,
non est cur multis dicam: quum curvis, pri-
mis modo pagellis perlectis, satis superque con-
suet, omni hocce ingenii documentum nitore de-
stitui. Ignosce itaque, Patrone Optime, quod
splendorem, gratiam & auctoritatem a Nomi-
ne Tuo mutuari ausus sim: & suscipe hocce
munusculum, quod Tibi, pro singulari Tuo in
me meosque favore, sacratum esse volui. Non
respondet, fateor, infinitis Tuis ultroque col-
latis beneficiis: spero tamen Te, Patrone Pro-
pensissime, pro Tua in Musarum cultores bene-

*Volentia, vultu eo sereniore excepturum hoc
quicquid est grati & venerabundi animi monu-
mentum Academicum, quod & ipse dignissimus
olim sis habitus, cui honores Academici defer-
rentur. Quod superest, summum Numen arden-
tissimis defatigabo suspiriis, veli Te, Patrone
Optime, cum Familia Tua nobilissima, sal-
vum atque florentem semper tueri ac
conservare.*

**Nobilissimi atque Amplissimi No-
minis Tui**

Humillimus cultor

Petrus Fortelius

officiis, velis hunc ingenii mei factum in neces-
situdinis nostrae testimonium benigne suscipere,
mihique in posterum, ut haecenus, Tuis salu-
berrimis consiliis adesse. Ego vicissim felicia
Tibi fata a D: O: M: precari non desistam,
semper mansurus

Consultissimi Nominis Tui

observantissimus

Petrus Fortelius.

Perquam Reverend. atque Doctissimo
Dn. ERICO FORTELIO,
Sacellano Ulfzbyensium Laudatissimo,
Dignissimo, Fratri suo Carissimo.

Preclarissimo et
Dn. Mag. JOHANNI
Rectori Scholæ Trivialis Neocastrensis
suo Ca-

Haud leviter, Fratres Carissimi, gaudeo,
vobis hanc qualemcunque dissertationem,
is, pro ingenii modulo, concripsi, possem con-
qui bonique igitur, Fratres, consulite hęc
que diligite. Ego nullam praterlabi sinam oc-
Interes

Carissimorum

Aman-
Petrus

Plurimum Reverend. atque Praclarissimo
Dn. Mag. GABRIELI FORTELIO,
Archidiacono Borgoensium Meritissimo,
Gymnasii R. Lectori Extraordinario, Con-
sistoriique Ecclesiastici ibidem Assessori
Dignissimo, Fratri suo Carissimo.

que Doctissimo
FORTELIO,
Dignissimo atque impigerrimo, Fratri
rissimo.

*Vos eo in statu jam offendere contigisse, ut
quam magnis & temporum & rerum angusti-
secrare, in sinceri animi mei testimonium. A-
mentis meae pignus, meque semper ut huc us-
cationem, Deum pro vestra salute compellandi.
maneo.*

Fratrum

tissimus

Fortelius.

In eruditam eruditissimi Domini
PETRI FORTELI,
De Confessione Evæ, dissertationem,

E*væ dum solers parientis verba revolvis,
Eruis & docto latentia sensa ligone:
Dum non fucato tua solvit crena liquore
Dogmata, contextus veri falsantia telam;
Per ruptas filices, per cautes fulgure tostas
Carpis iter, quod sub felici sidere caudis.
Hinc tibi quis laudis cordatus agalma negabit?
Carpitur invidia meriti quis jure tuimet?
Ast in ver lateo surgent mea gaudia diausus,
Climate sub gelido maneant quod amana vireta.
Ac utut heic cerebrum non sudans zonula torret;
Non tamen ussino riguit sub frigore Pallas.
Fallor, ais tamen hoc rerum monumenta lo-
quuntur,
In quibus omne feret præsens hæc pagina pun-
ctum.*

scripsit

M. JOH. WELIN.



I. N. J.

PROOEMIUM.

Philologiam sacram multi quidem sunt qui sugillent, triviale id esse studium, & inanem grammaticarum altercationem, qua facile carere possimus, clamitantes. Verum enimvero quanta hæc sit temeritas dicam, an malitia, omnibus, qui de sancta hacce disciplina rectius judicare didicerunt, dudum est perspectum. Qui enim nullam harum litterarum notitiam sibi comparavere, illi fere soli nefando ausu necessitatem earum oppugnant. Ne

A

au-

autem omnibus ita finistre judi-
cando imponant, hac occasione
e re quam maxime esse duxi,
pauca pro ingenii modulo de ne-
cessitate & utilitate philologiæ
sacræ præfari. Si quando, hoc
certe ævo, quum haud pauci
aliis scientiis instructissimi veri-
tates sacras convellere operose
conantur, solidior philologiæ san-
ctæ cognitio requiritur, ut te-
chnæ eorum ex fundamento sub-
rui queant. Politicos videmus
de peregrinis adeo sollicitos esse
lingvis, ut nullius impensæ habe-
ant rationem; sed ad loca etiam
transmarina sese conferant varia-
rum lingvarum comparandarum
gratia. Qui vero facultatem per-
egre proficiscendi non habent,
tales sibi prospicere solent soda-
les, quorum opera lingvis in e-
discendis uti possint. Et hæc o-
mnia ideo faciunt unice ut eo fe-
liciores in civilibus rebus pera-
gen-

gendis inveniantur. Quanto autem magis incumbit politiæ spirituali operam dantibus linguas sibi sanctas familiares reddere, quibus D. O. M. voluntatem suam generi humano palam fecit? Omnes Magistratui debent obsequium præstare: quanto itaque magis necessum est Servatori nostro dulcissimo ἐν τῷ ἐρευνᾶν τὰς γραφὰς morem gerere? Quomodo autem illi possunt scripturas digne scrutari, qui non linguam ejus authenticam norunt? Νᾶμ εἰὼν μὴ εἰδῶ τὴν δύναμιν τῆς Φωνῆς, εἶμαι τῷ λαλῆν βαρβαρῶ, καὶ ὁ λαλῶν, ἐν ἐμοὶ βαρβαρῶ. Hinc itaque argumentor: cuicunque deest subsidium ad investigandam mentem scriptoris necessarium, ille eandem feliciter adsequi nequit. Atqui ignorantia linguam auctoris deest subsidium necessarium. Ergo. Hinc θέλω πάντας ὑμᾶς λαλεῖν γλωσσαις. Ulterius: sine quo aliquis

A
nequit absque formidine oppositi
certus esse de sensu ab auctore sa-
crarum litterarum intento, sine
eo sensus ejus tuto & ad convi-
ctionem conscientiae declarari
non potest. Atqui sine notitia
linguae originalis. Ergo. Sæ-
pissime rebus in mundanis ani-
madvertimus, quomodo heredes
tutius ad testamentum sibi a pa-
rentibus relictum se conferunt,
quam ad scripta inde deducta,
queis fidem, antequam conve-
nientiam oculis suis videant, non
habent. Eandem etiam ratio-
nem interpretationum scripturae
esse autumo. Recte igitur dici-
tur: dulcius ex fontibus, quam
a rivulis, aquae bibuntur. Quam
ob rem eleganter etiam Mega-
lander monet, ut omnes, qui
aliquando docebunt religionem,
si non pecora modo campi, &
indoctum vulgus haberi velint,
linguam discant Hebraeam. Nam
labia

labia sacerdotis custodire debent
scientiam, ut legem requirant
homines ex ore ejus. Vi cujus
moniti, si quis jam a nobis
præsertim obscurioris alicujus di-
cti verum requireret sensum, ma-
gis muti quam pisces plerumq[ue]
essemus, si linguam originalem
ignoremus. Sed posset aliquis
regerere, magnos viros jam ad-
eo accuratas Bibliorum sacro-
rum versiones dedisse, ut non
amplius sit opus tempus huic
linguis tribuere. Præclaram qui-
dem eruditorum operam, uti
par est, veneramus: interim ta-
men, ut versionem cujusquam
hominis pro infallibili habeamus,
non patimur nobis persuaderi.
A nobis enim pariter requiritur,
ut nostris ipsorum oculis cerna-
mus, & de integritate versionum
judicare discamus. Exempla ne-
cessitatem Hebrææ linguæ pro-
bantia si, B. L. desideras, uni-
cum

cum Geneseos locum produci-
mus, quem miserum in modum
detorsum deprehendimus. Quare
eundem paucis tantum per Di-
vinam gratiam scrutari animus
est. Huic autem proposito dum
satisfacere conamur, Te, B. L.
etiam atque etiam rogatum cu-
pimus, digneris, quæ tua in
Forteliorum nomen est humani-
tas, omnia, quæ a statu nostro
adfecto proficisci possunt, meli-
orem in partem interpretari.

§. I.

UT autem omnibus eo melius,
& linguæ Hebrææ necessi-
tas, & hujus loci, quem tra-
ctandum proposuimus, detorsio-
nes constarent; ante omnia pla-
cuit communiores saltem in me-
dium proferre versiones. Ver-
ba textus authenticæ ita fluunt in
Gen. 4. 1. קָטַף אִישׁ אֶת יְהוָה. Sa-
maritano, Arabico, Italico, &
pluri-

pluribus interpretibus hæc verba
 visa sunt elliptica; quare Tre-
 mellius & Junius, quibus hæc e-
 adem defectiva sententia arrisit,
 ita interpretantur: *adquisivi vi-
 rum* אֲנִי אֶת הַדָּבָר a Domino vel אֲנִי אֶת הַדָּבָר. LXX
 autem interpretes: Εὐηγοῦμαι ἄν-
 θρωπον διὰ τοῦ Θεοῦ. Quos vulgatus
 sequitur, vertendo: *Possedi homi-
 nem per Deum*: nonnulla vero
 exemplaria habent, *Per Dominum*.
 Ditenberger utramque expositio-
 nem servat: Ich habe überkom-
 men einen menschen von (oder
 durch) Gott. Alii multi, ut Corn.
 a Lapide: *adquisivi virum cum Do-
 mino*. Targum, quod Jonathanis
 Uzielidæ nomen præfert: *adqui-
 sivi virum* אֲנִי אֶת הַדָּבָר אֶת אֱלֹהֵי אֱלֹהֵי אֱלֹהֵי אֱלֹהֵי Angelum
 Domini. Seb. Schmidius: *possedi
 virum qui* אֲנִי אֶת הַדָּבָר est. Lutherus qui-
 dem primum reddit in Genitivo:
Possedi Virum Domini: Ich habe ü-
 berkommen den mann des HERRN.
 Quem Svecus translator secutus
 est:

8
 est: Jag hafwer fått HERRANS
 Man. Posterioribus vero tem-
 poribus mentem suam ille mu-
 tavit hunc in modum: Ich habe
 den mann den HERRN / oder Gott
 bekommen. Quem deinde imi-
 tantur recentiores: quare recte
 Gezelius: Jag hafwer fått eller
 undfått mannen HERRAN: vel ad
 hac propius: Jag äger mannen
 HERRAN / *possideo virum ipsum Do-*
minum. Translatio Fennica u-
 traque: Minulla on mies HERR-
 ra. Sed non cumulamur iam
 interpretes, quod fieri posset, si
 id ageretur.

§. II.

PRiusquam ad præsens nego-
 tium pedem ulterius promo-
 veamus, necesse est, ut in ante-
 cessum paucis tantum rationem
 vocum singularum attingamus.
 Primo itaq; nobis occurrit ver-
 bum *νῆπι* excutiendum: quod
 quem-

quemque existimamus advertere
 radici $\alpha\beta$ natales suos debere.
 Verum varias ac discrepantes
 hoc verbum involvit notiones:
 interdum enim est *adquirere*, *pa-
 rare*, *comparare*, *emere*, *adipisci*:
 interdum *adquisitum possidere*, *habe-
 re*: addi etiam solet, *pecuarium
 facere*, *pecoribus custodiendis praeſice-
 re*, & ad Bocharti mentem, *fa-
 cere*, *creare*, *producere*. Itaque
 non sine caussa quæritur, quæ-
 nam palmaria sit hujus vocis si-
 gnificatio. Sensu laxiori Cocce-
 jus & Majus huic verbo habendi
 vim; strictiori autem 1. *compa-
 randi*, *adquirendi*, *suumque facien-
 di*; quocunque id fiat modo; 2.
Adquisitum possidendi, tribuunt Quia
 adquirimus rem, ut *habeamus*: &
 quod possidemus, *habemus*. Sed
 simplicius videtur servari *adqui-
 rendi* notio ut prima ac formalis:
 unde per se fluit consequens a-
 ctus *possidendi*: neque est neces-
 se,

se, ut terminos hos cum Guffe-
 tio invertamus. Verum enim
 vero, ut varii sunt gradus ad-
 quisitionis, ita hoc verbum de va-
 riis adqvirendi modis prædicatur,
 ut de eo, qui fit 1. *pecunia &*
pretio: qua in significatione con-
 gruit cum *emendi* verbo, quem-
 admodum videre est Jer. 32. 25.
 Gen. 25. 10 2. *Industria & labo-*
re, aut quacunque *animi virtute*,
 ut nos mortales hodie sapienti-
 am nobis comparamus: qua de
 re Salomo etiam agit Prov. 4. 5.
 ubi res quasi concrefcit cum ad-
 quirente. 3. *Redemptione*, prout
 summum Numen populum Isra-
 eliticum sibi adqvifivisse, & pe-
 culium suum fecisse dicitur, Ex-
 od. 15 16. Deut. 32. 6. 4. *Le-*
ge matrimonii, quomodo vir ad-
 jungit sibi uxorem, uti ex Ruth:
 4 10. apparet luculentissime.
 Quod ad secundam acceptionem,
 nempe *adqvifitum possidendi*, atti-
 net

net, scriptura hoc verbum etiam ad varias possessionis species adhibet. Sic possidetur aliquid 1. *jure creationis*, quomodo Deo vindicatur cœli & terræ dominium, quia omnia, quæ conspiciuntur, ab illo facta sunt & pendent, Gen. 14. 19. 2. *Jure emptionis*, utpote videre est ex Jes. 1. 3. 3. *Jure industrie & dexteritatis*, aut cujuscunque in nobis facultatis & perfectionis, quomodo possessum sæpe idem quodammodo est & unitum cum possidente, ut Prov 15. 32. 4. *Jure generationis*, ut Prov. 8. 22. Qua in acceptione Stockius, Philologus acutissimi judicii, cum multis, contendit Evam in natiuitate Caini hæc protulisse verba: *possideo virum ipsum Dominum*. Verum Guffetius in Com: Ling: Heb. ei quam maxime contradicit, quia verbum *נָסַב* dominium semper includat, unde nec ho-

mo unquam voce **למנה** aut exinde derivatis dicatur possidere Deum, sed aliis vocabulis, ut **לקח** ac **מנה** Ps. 16. 5. Jer. 10. 16. præterea de generationis jure idem nusquã prædicetur. Ast de generatione contrarium nos jam monstravimus, idque dicto Salomonis: quemadmodum etiam vel ex eodem loco luculenter patet, dominium non ubique & necessario involvi hoc verbo, sed quodcunque jus, & quemlibet possessionis titulum sufficere, potissimum quum hic non directè & immediate de Deo, sed intercedente **שׁוֹן** prædicetur.

§. III.

Sine ulteriori verborum anfractu properamus ad vocis **שׁוֹן** enodationem, quam Schindlerus a radice **שׁוֹן** vult derivare, & hanc congruere cum **שׁוֹן**, *firmus & robustus fuit*, asserit. Nam quemadmodum Latinos **virum** a corporis atque animi viribus appel-

appellare; ita & Hebræos a robore fortitudineqve eundem nominasse, sibi persuasum habet. Pro hac sententia militare videtur forma hujus verbi in Hithpaël, ubi *virum & fortem se præbere* significat, Jer. 46. 8. Verum enimvero ex mente plurimorum Lexicographorum ipsa radix esse nominalis videtur. Cujus significatio non uno tantum modo in fontibus Israëlitis exprimitur. *Generatim* notat *virum*, & quidem proprie excellentem, fortem, uti ἐξοχικῶς καὶ ἐξαιρέτως Jer. 5. 1. Ps. 4. 3. & 49. 3. &c. sumitur: unde & Græci suum ἰσχύς, *robur*, & ἰσχύσιον, *validum & potentem esse*, deduxerunt. Atque ab hac generali notione in hoc Geneseos loco nulla urgente necessitate recedendum nobis non existimamus: etsi Gussenius de infante ac nascente interpretetur, quæ assertio probata & stabilita nostra

sen.

sententia, sua sponte corrui-
 tum alioquin exempla indubi-
 tata de tenera ætate desiderentur.
Speciatim varie accipitur hocce
 nomen, & quidem pro sexu ma-
 sculino, tam in hominibus, præ-
 fertim quando est oppositio ad
 אִשָּׁה, ut Gen. 2. 23. quam in
 brutis animantibus, ad quæ et-
 iam se extendit, vide Gen. 7. 2.
 Ubi autem relationem ad conju-
 gem refert, designat maritum,
 ut apparet ex Gen. 3. 6. 1. Sam.
 1. 8. Sed in oppositione ad אִשָּׁה,
 אָדָם & אִשָּׁה, innuit unius hominis
 consociationem ad alterum, vel
 similis rei ad similem applicatio-
 nem, ut Gen. 11. 3. Exod. 25.
 20. Synecdochice significat na-
 turam humanam sine differentia
 sexus: estque idem ac *quisque ho-*
mo, tam mas, quam femina,
 Psal. 1. 1. Ad plenius vero ex-
 primendam distributionem, so-
 let duplicari אָדָם: verum & sine
 gemit-

geminacione idem significare, locus manifestus Job. 1. 4. &c. evincit. Occurrit etiam indefinite pro *aliquis, quidam*, ut Gen. 45. 1. Peculiare vero est hoc vocabulum, conjunctum cum nominibus divinis, ubi demonstrat illum, qui ad negotium aliquod peculiare a Deo ablegatus est: ac eminenter de eis prædicatur, qui munere funguntur Prophetico, vide Deut. 33. 1. & ad verbum Domini docendum, 1. Sam. 2. 27. mittuntur. Chaldæus interpretes per *Prophetam Dei*, & Apostolus per *τὸν ἀγγελικὸν ἔργον*, 1. Tim. 6. 11. exponit. Deinde invenitur conjunctum cum aliis nominibus, & quidem in relatione ad accidentia notat habitum vel dispositionem in subjecto, constituitque concreta denominativa & possessiva. conf. Exod. 4. 10, & 15. 3. Apud Chaldæos & Rabbinos sumitur pro singulari
aliquis

aliquo individuo Logico: consul: Castell Lex Heptaglot. Thalmudistis præcipue, ad ductum stili facri, nominibus locorum præmissum format nomina gentilia, v. g. **איש ירושלים**, ac interveniente **כפר**, ut **איש כפר עכו**, vir de pago Acco. sic multis placet **איש קרת**, dictum Judam Christi proditorem, a patria **קרת**, oppido in tribu Juda, Jos. 15. 25. Voci **איש** Synonymon in N. T. est *ἀνὴρ*, Joh. 1. 30. & apud Hebræos **איש**, quæ vox de Christo Jer. 31. 22. Zach. 13. 7. usurpatur. Sed Græci interpretes hoc loco Mosaico **איש** per *ἀνδραγωγος* exposuere.

§. IV.

JAm nobis perpendenda occurrat particula **איש**, quam interpretes miserum in modum heic loci detorquent, unde deinde varia sententiarum monstra enata sunt. Particulæ hujus origo a

Kær-

Kæerbero, ubi primi & quarti casus nota est, revocatur ad radicem verbalem בָּתַן venit, obvenit, ut proprie rem objectam significet. Ceterum quando gerit vicem præpositionis notantis cum, apud, ad radicem בָּתַן refert: cujus formalis sensus apud Arabes est, multus, copiosus fuit, ut ita copiam cõunionemque denotet. Si cui nimis speciosa hæc derivatio videatur, cum plerisque poterit Lexicis hanc particulam ipsam radicem constituere. Quod ad significationes hujus particulæ spectat, multas habet: nos autem hac occasione potissimas tantum enumerabimus. I. Significationem antiquitus obtinuisse nominalem observatur, ut exprimat ipsam, patientis ut plurimum, substantiam seu essentiam, quasi ipseitatem, ut Ezech. 34. 8. pascunt בָּתַן h. e. substantiam suam, seu se ipsos. Sic Gen. 1. 1. cre-

avit Deus substantiam cælorum &
 substantiam terre. Cum hac He-
 bræa vocula Celeb. Rudbeckius
 pulcre committit Island: *eah*, Ul-
 fil. *itbe*, Lapon: *jetz* &c. immo
 addimus Finnon: *itze*, quibus o-
 mnibus pronomen *ipse* exprimi-
 tur. Sed neque plane deseri ista
 significatio prima videtur, quan-
 do 2. neglecta apud Latinos sui
 significatione, effertur hæc par-
 ticula per varios casus: (a) per
ablativum, quamquam rarius, ut
 Exod. 1. 7. *repleta est terra* ארץ
ipsis, quasi substantia eorum. Sic
 Jud. 8. 7. *trituro carnem vestram*
 ארץ *ipsis spinis deserti, & ipsis tri-*
bulis, non ut Seb. Schmidius,
spinas & tribulos, vertit. (b) Per
nominativum, cum verbis passi-
 vis & neutris constructa, ut Jos.
 7. 15. *comburetur* ארץ *ipse*, seu sub-
 stantia ejus. Verum genitivum
 casum nunquam solet exprime-
 re: quamquam, nonnullis placet
 Jes.

Jes. 11. 9. ita vertere: *plenā erit terra cognitionis Dei*: rectius tamen est: *replebit terram cognoscere essentiam Dei*, h. e. cognitio Dei. vid: Danz. interpr: (γ) Frequentissime est nota *accusativi*, & quidem perpetuo si construatur cum verbo activo, ut Lev. 4. 6. Gen. 4. 11. Quare ex analogia linguæ Hebrææ tuto concludimus, non præcedente verbo activo, unde regitur, semper habere vim accusativi: a quo significato nulla urgente necessitate nosmet depelli non patimur. Nam in exemplis a Guffetio oppositis aut manifesta est ellipsis, aut casus verbi alioquin adest. Præterea observant Philologi accuratissimi, non tantum repetitum, ut Gen. 4. 2. sed & quum duobus interpositum est nominibus, ordinarie inferre appositionem accusativorum, ut Jer. 17. 13. Ezech. 4. 1. 3. Potissimum verbis neutris

adjuncta, varias efficit præpositiones, quarum hic præcipua est *cum*. Aliis enumerandis immorari haud vacat, sed earum cupidus ad Buxtorfium, Noldium, Opietium, Kærberum, Danzium, Stockium, remittitur.

§. V.

Absolutis prioribus vocabulis, sequitur, ut nonnihil etiam de nomine יהוה dicamus. Placet itaque inprimis in apuricum proferre, quid Maimonides de essentiali hocce summi Numinis nomine dixerit. *Nomen illud, inquit, cujus litteræ jod he vau he, non habet etymologiam notam. & iterum: nullum penes nos nomen est, quod non sit derivatum, præter hoc unicum jod he vau he.* Verum enim vero nihil obstare videtur, quo minus hoc nomen ad verbum היה vel היה *fuit*, referendum sit, quam derivationem sine causa advertimus aliquos hoc nostro

ævo in dubium revocasse: quam tamen veram esse, vel ipsa significatio satis evincit. Celeb. Rudbeckius in de ave selav, magno conatu improbat Hebræam nominis hujus originem, his præcipue rationibus: 1. quod radix Hebræa הוה habeat non mediam; הוה autem sit Chaldaicum, Hebræis inusitatum. 2. Utrumque verbum non nisi neutraliter & passive notet, unde nomen summi Numinis deducere sit inconueniens. 3. Temporis distinctiones, quas originatio Hebræa hic involvat, Deo æterno sunt indignæ. Hinc mavult substituere radicem Gothicam *ava, hava & beva*, auctorem esse, ortum dare alicui rei, deducere, incolare &c. unde præfixo j epitatico, fit nomen *Java vel Javo*, quod Hebræi per הוה expresserint: Sed modeste respondemus ad I. Formam verbi הוה, quamquam rariorem, omnino

minino tamen Hebræis in usu fu-
 ille, quum in textu sacro Hebræo
 aliquoties, immo apud ipsam
 jam Moſen, reperiatur, ne quis
 poſterioribus ſæculis a Chaldæa
 adſcitam dicat. Ad 2. Verbum
 ſubſtantivum יהוה optime quadra-
 re ad denominandam æternam
 & infinitam Dei eſſentiam, a qua
 tanquam fonte & principio, ut
 reliqua attributa, ita virtutem
 omnipotentem profluere conci-
 pimus, quum *eſſe* de Deo ab æ-
 terno & neceſſario, non item
Creatoris eſſe, prædicetur. Ad
 3. Si hac ratione per omnia ſtan-
 dum eſſet, vereri nos, ne ſic &
 paraphraſin hujus nominis, a
 Spiritu divino ſæpius, ut Apoc.
 1. 8. luculenter inſtitutam, auda-
 cter improbemus. Denotat ita-
 que nomen *Ἰερωαγαµαλον* יהוה ה
 וי, *καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἰσόμενος* vel *ἐρχόμε-
 νος*, id eſt, ens *αὐτῆς* & indepen-
 dens, a ſe & per ſe ſubſiſtens,
 quod

quod ab omni æternitate existit,
 & in omnem æternitatem dura-
 bit, semper in præsentī existens,
 & consequenter rebus omnibus
 aliis existentiam largiens. Hinc
 igitur patet, יהוה esse proprium
 & essentialē Dei nomen: & ita
 nulli rei creatæ, quantumvis e-
 minenti, in scripturis tribuitur,
 sed manet incommunicabile, se-
 gregatqve verum Deum non
 modo a fictitiis & nuncupatiis,
 qui revera non sunt dii; sed & ab
 omnibus in universum rebus,
 quarum essentia ab eo pendet.
 Quod autem ad vocales huic no-
 mini adpositas, quas non propri-
 as esse, sed ab יהוה adscitas multi
 asserunt, attinet: nulli dubitamus
 statuere, nomen יהוה propria sibi
 puncta omnino obtinere, nisi im-
 perfectionem quandā, majestate
 divina indignam, nomini ejus es-
 sentiali adstringamus, si vocalibus,
 tanquam anima, per se sit desti-
 tutum. Hanc rem, qui oppugnāt,

Sp. Sancto, & litterarum Hebraicarum & punctorum Auctori, sese opponunt: punctaque & formam nominis יְהוָה ac יהוה nimis quantum confundunt: quæ tamen insigniter differunt. Nam יהוה a littera servili, יהוה vero radicali incipit. Si יהוה vocales obtineret improprias, & ab יהוה mutuatas: cur, quæso, sub non gutturali æque, nisi majori jure, ac .., non posset adhiberi, quoniam hoc eidem in alia forma subscriptū reperitur? Multa quidem de hoc Dei nomine tradi possent; verum paucissimis jam contenti erimus. Nempe nullum suffixum, nullam regiminis formam, nullam formam pluralem, nullum ה emphaticum, unquam illud admittere: plane quemadmodum reliqua nomina propria. Ut jam silentio involvam Judæorum traditiones, qui ne nominare quidem hoc nomen

per-

permittunt. Ast sine causa: quum vel ex hoc, quem tractamus, loco Genesis constat, jam inde a rerum origine isthoc nomen usu viguisse, & pronuntiatum fuisse. Præterquam quod in ipsa nominis hujus forma trinam temporis distinctionem notare solent: peculiariter quidam & Cabbalistica ratione ex litteris ejusdem de divinitate philosophantur. Ita ex mente Læscheri, littera unicam essentiam, tres autem distinctas personas tres sequentes litteræ indicant. Ut autem usus Hebræorum tria immediate conjungere non sinit: ita in mediis locum constituitur, quia est littera copulativa: quæ ostendat secundam personam Dei & hominum esse mediatorem. Mirus autem in Lex: Antiq: aliter hac de re sentit, cujus hæc sunt verba: Das bedeutet den Wasser / als den anfang und Brunn-
 quell

quæll der Gottheit / das ꝛ den
 Sohn Gottes / und solches wer-
 de dupplicet / weil zwey naturen
 in Christo seyn / die Göttliche und
 Menschliche. Das ꝛ bedeutet den
 Heiligen Geist / und stehe zwischen
 den beyden ꝛ, weil es Gottheit
 und Menschheit in Christo gleich-
 sam zusamen füget. Eadem habet
 Goodvinus. Sed in ejusmodi mihi
 jam tempero. At quoqvo modo se
 illud habet, tamen qui Servato-
 ris Divinitatem adstruere volunt,
 & nominis hujus adorandi ꝛꝛꝛ
 rationem penitus introspicere
 negligunt, vix officio suo satisfa-
 ciunt.

§. VI.

Sic breviter vocibus examina-
 tis, re. tat, ut varias vario-
 rum sentētias examinem⁹. Quum
 autem illæ fere infinitæ sint, sa-
 tis erit, si aliquas tantum in me-
 dium proferamus, ut eo facilius
 quis-

quisque de reliquis iudicium fer-
 re queat. Primo illos notamus
 interpretes, qui secundum prio-
 res Lutheri curas, in statu con-
 structo efferunt, *virum Domini*. Sed
 quo minus regiminis status hic
 admitti queat, obstat non tan-
 tum accentus in priori nomine
 וְיָדֹנִי distinctivus, sed & ratio in-
 tercedentis particulæ וְ, quæ,
 ut supra observatum, genitivi
 casus nota nunquam est. Quare
 & Lutherus ipse, postea melio-
 ra edoctus, sese hic correxit. O-
 mni pariter fundamento & exem-
 plo destituuntur, qui dativum
 casum *Domino*, hinc exculpunt:
 ut iste eadem facilitate, quæ ad-
 sumitur, rejiciatur. Illi vero,
 qui defectivam hic locutionem
 statuunt, nonnulla scripturæ lo-
 ca in subsidium vocant, in qui-
 bus וְיָדֹנִי vim וְיָדֹנִי manifeste obti-
 neat, ut & hic valere debeat, *Domino*. Verum ad ellipses nun-
 quam

quam est confugiendum, nisi urgente necessitate: quæ tamen hic nulla ostendi potest. Præterea ipse jam Gulletius istam particulæ *non* notionem in totum improbavit, quum dicta illa, ad quæ provocatur, aliter commode expediri possint. Alii *non* per *coram* vertunt, unde hic emergit sensus: quasi Eva credidisset, talem se filium peperisse, qui præclarum quid esset futurus, sincerumque Dei cultum conservaturus, immo plane, ut Nehemanides concludit, rectius se gesturus, quam parentes ipsi in Paradiso fecissent. Non quidem negamus, particulam *non* aliquando *coram* & *apud* exponi: sed simul contendimus, tum semper respici verbum adjunctum, aut subintellectum verbum substantivum, ut Gen. 19. 13. 1. Reg. 6, 31. Psal. 16, 11, non autem nominis tantum affectionem sic notari, ut hoc lo-

co foret: ad verbum enim referendam hic esse particulam *coram* ne ipsi quidem volunt, quia id esset inconueniens. Ceterum illi, qui præpositionem *cum* hic substituunt, tanto validius pugnare videntur, quanto frequentior voculæ *DN* usus in illo significato deprehenditur. Sed neque illi omnes uno eodemq; modo hanc præpositionem exponunt. Maxima pars interpretum, Reformatorum præsertim, ita hic accipiunt *DN*, ut idem sit atque *ὁ* *ἱε* Græcorum, *cum Domino*, i. e. Domini auxilio, Deo iuvante & favente. Verum sufficienter a nostratibus monstratum est, illam sententiam ab Hebræis nusquam particula *DN* efferri, sed præpositione *ꝫ* aut *Ꝭ*: quod & eruditiores adversæ partis jam agnoverunt, & devictam sociorum causam deseruerunt. Eodem tendit illa expositio, *per Domi-*

num, i. e. Dei dono & munere, adeoque eadem ratione eliditur. Aliis placet præpositio *cum* in sensu societatis, consortii & cōmunionis; sed diverso rursus modo. Ex Rabbiniis cumprimis Sal. Ben Melech majorem in modum contendit DN notare conjunctionem utriusque nominis, ut Eva sua opinione quidem possederit virum, sed simul *cum Domino*, i. e. qui ex parte vir esset, ex parte vero Dominus, vel qui aliquid Dei seu Divinitatis haberet. Ab hac sententia non procul abludivit, quod Ab. Esra in hoc dicto reperisse sibi visus est. *Ecce*, inquit, *vult Eva dicere: inveni in terra in specie, qualis fuit supra in essentia sua.* Hoc est ad mentem illius: Non amplius solus Deus creat homines ad imaginem sui, sed jam per generationem meam in ipsa terra ea species est, qualis est Deus in essentia sua. Si id

id valeret, possemus nos majore jure dicere, *virum cum Jehova* esse idem atque *θεός ἰσραήλ*. Sed & illa constructio gratis & sine exemplo assumitur, quia non reperitur *אֶת* ita absoluto respectu conjungere duo nomina in consortium & communionem; sed sicubi eo sensu interponitur duobus nominibus, respicit verbum præsertim substantivum, ut Gen. 39. 2. *וְהָיָה יְהוָה אֶת וּסְף*. Accedit, quod manente ista significatione nomina accentu servo arcte viderentur connectenda, quia sic emphaticæ distinctioni non esset locus. Superest jam, ut sententiam Cl. viri Guffetii videamus, qui similiter sumit *אֶת* ut præpositionem *cum*, & quidem in significatu *societatis*, sed ita ut conjunctionem posterioris nominis cum præcedenti verbo intendat, *קָנִיתִי אֶת יְהוָה possideo una cum Domino*. quasi diceret *Eva: possideo virum*

virum hunc, sed non ego sola, verum Dominus mecum, quia vir iste est meus & Dei, in quem uterque dominium habemus. Ceterum si quid videmus, hæc expositio, quam liquidissimam opinatur auctor, vix a crimine impietatis communem matrem liberabit, si dicatur illa dominium alicujus rei cum summo Numine ita audacter partiri voluisse, immo in communione ista sibi priores quodammodo partes vindicasse. Certe indicium ejusmodi arrogantiae alioquin in Eva, miseriam suam edocta, non apparet. Aliter plane pii omnes affecti & loquuti sunt, neque unquam sese in communionem dominii cum Deo omnipotente ingerere sunt ausi; sed jus universum ipsi cessere, prolem potissimum in solidum ejus donum agnovere. Præterea neque exemplum monstrari potest, ubi

bi hæc phrasis, nempe **וְעִם** associationem indicans cum verbo possidendi aut similibus constructa, reperiatur, nedum societas possessionis cum Deo legatur. Merito igitur ab hac sententia abstinemus, auctoriqve suo eam relinqvimus.

§. VII.

Restat jam, ut in certo aliquo loci hujus sensu animum nostrum figamus. Alienarum sententiarum incommoda vidimus: unde nullam novimus, quæ solidior & planior sit, quam quæ grammaticam hic appositionem statuit inter duo hæc substantiva **וְעִם** & **וְיְהוָה**, interjectamque voculam **וְעִם** nihil aliud esse quam notam accusativi, ut ordinarie solet post verbum activum, sed simul emphatico sensu exponendam per *nempe* aut *ipsum*: ut sit: *possideo virum, nempe Dominum, vel ipsum Jehovah.*

C

Hanc

Hanc interpretationem quidem varie ab adversa parte sollicitant, & labefactare conantur: sed quibus plerisque jam solide ab alijs responsum est, ut brevioribus esse nobis liceat. Sic inane esse argumentum de geminanda particula נִן , si accusativi indicium in appositione foret, jam omnes perviderunt. Nam etsi illa geminatio נִן נִן in appositione post verbum activum est frequentissima, ut vel in sequenti statim versu 2. ejusdem capituli נִן נִן נִן נִן נִן comparet: sunt tamen alia loca haud pauca, in quibus vocula נִן tantum interposita est duobus nominibus & nihilominus omnium confessione index est accusativi casus, adeoque appositionem format: velut ad oculum patebit consulenti hæc dicta, Gen. 6. 10. c. 22. 20. 21. c. 28. 34. 1. Reg. 11. 14. 23. Esa: 7. 6. c. 8. 2. Jer. 17. 13. Ezech. 4.

1. c. 34. 27. Eccles. 7. 26. Ulterius dubium huic sententiæ movetur ab accentuum ratione. Si enim, inquirunt, hic esset appositio, in priori nomine UN potius accentus conjunctivus esse deberet, quia appositio propiorem habet nexum, quam verbum & nomen: hic autem vocabulum idem, habet accentum distinctivum Tiphcham, qui appositionem prorsus tollit. Verum & id frustra obvertitur. Nam licet hoc ordinarie in appositione valeat: tamen sicut communem accentuum consecutionem ob dictionis emphasin alioquin immutari, est notissimum: ita nomina per appositionem se mutuo respicientia, ob eandem rationem accentum distinctivum admittunt, interveniente potissimum non ceu nota emphaseos. Quod vel ex locis allatis satis patet, ex quibus jam præcipue illa Jer. 17.

13. & Ezech. 4. 1. eosdem plane accentus in pausa servantia, cum nostro hoc loco committimus: immo Gen. 26 34. prius nominum appositorum etiam ante Sakephkatonum ob similem emphasin distinctivo accentu paschta est adfectum: de quibus tamē nullum est dubium, quin manifesta adsit appositio. Ceterum peculiariter id jam negotii nobis dari existimamus, ut eruditissimi viri Gussatii rationibus pro virili obviam eamus: quibus ille tantum sibi placet, ut hanc nostram sententiam iisdem penitus everfam gloriatur. Urget 1. In omnibus aliis appositionis exemplis, sive cum duplicato sive interposito simplici ~~na~~ constructis, antecedens nomen est magis vagum: resumptio vero seu denominatio secunda, ejus notionem in sua continet, sed expressiorem. Hoc autem dictum præsens aliis
 esse

esse diffimillimum, neque ad regulam datam applicari posse putat, quia *vir* non ita contineatur in notione *Jehove*; & præterea obscurior sit designatio posterior, quam prior. Verum enimvero *vir Doctus* quanquam subtiliter hæc excussit; tamen studio partium ductus, singula non satis advertit. Nam primo neque omnia in exemplis ab eo allegatis ad regulam ipsius quadrant, ut Psal. 147. 11. non enim perspicio, quomodo *timens Dei* sit magis vaga notio, quam *sperrans in eum*. Sufficit ergo in appositione qualiscunque relatio, neque semper strictior designatio requiritur. Deinde re penitus considerata, etiam nostrum hoc exemplum ad regulam Guffetianam optime se adcommodat. Nã *Eva*, revelatione Paradisiaca colustrata, novit Messiam futurum *Θεός Πατήρ*, neque id diffitente

Gus-

Guffetio. Si hoc verum: novit etiam eundem in censum virorum venturum, ut hoc nomen de eo quoque prædicari posset. Ponit ergo primo כִּי נֶאֱמַר ceu denominationem laxiorem & magis vagam, quippe quæ omni sexui masculino inter homines competeret: quæ ideo restringenda erat ad certum & singulare individuum, virum nempe non vulgarem, sed qui ipse Jehova esset. Suo sic gladio Guffetium habemus jugulatum. 2. Dicit morem Ebraismi, quo post activa verba per כִּי notat in accusativo objectum circa quod versatur actio, adeo non esse perpetuum, ut sæpe etiam aliter sumatur. Imò ajo esse perpetuum, quoties כִּי verbo suo directe subjacet; aut monstretur exemplum indubium: nam Gen. 37. 2. כִּי אָמַר perspicue nominascit, sicut in altero exemplo Gen. 31. 15. manifesta patet ellipsis, ab an-

antecedentibus supplenda. Sed
 nō inter duo nomina positum
 post activum, neque nos dicim⁹
 perpetuo accusativum signare;
 ordinarie tamen id præstare con-
 tendimus, qvi usus ejus non est
 delerendus, qvo ad ineptum non
 gignit sensum. Rariora namq̃
 sunt exempla præpositionis *cum*
 post verbum activum & ejus ca-
 sum, & possessionis quidem so-
 cietatem denotantia nulla. Unde
 & tentatam Gussatii interpreta-
 tionem inconvenientem & abso-
 nam esse, jam superiore §. of-
 tendimus. 3. Hypothesin ejus-
 dem de verbo *נָשָׂא*, dominiū no-
 tione tanquam formali & insepa-
 rabili prædito, similiter superius
 §. 2. confutavimus. Nunc ver-
 bo tantum propius monemus de
 forma & notione vocabuli *נָשָׂא*,
 significatus *adquirendi & possidendi*
 non multum hoc loco differre,
 quemadmodum illi & alias facile
 in uno loco complicari possunt;
 adeo

adeo ut & heic reddi queat, *ad-*
quisivi quasi possidendum & fru-
endum: qua ratione directe præter-
 iti forma servatur. Sed malimus
 ob planiorem dicti sensum, qui
 postea patebit, exponere de *pos-*
sidendo, quasi *adquisitum possideo*,
 seu *fruo* eo: idque in præsentis,
 non obstante præteriti forma,
 qua Hebræi alioquin sæpissime de
 actu continuo utuntur.

§. VIII.

Vidimus itaque jam hanc de
 appositione sententiam, e-
 amque pro ingenii viribus bre-
 viter vindicavimus: superest, ut
 sensum Evæ altius eruamus, hu-
 jusque effati applicationem ad
 certum individuum perquiramus.
 Quum autem inter antiquiores
 & recentiores Philologos ma-
 gnam intercedere altercationem
 animadvertamus: operæ pretium
 esse

esse existimavimus, illorum primum examinare rationes. Consentiant fere omnes paullo vetustiores interpretes in eo, & uno quasi ore contendunt, *E*vam hæc verba, *possideo virum ipsum Dominum*, ad filium suum recens natum Cainum applicuisse. Ante omnia lubet B. Lutheri verba in medium proferre, quibus in hanc sententiam commentatur: *Quod Eva*, inquit, *sic heret in promissione divina, & in fide liberationis per semen suum futurae, recte facit. Nam hac fide in futurum semē justificati & sanctificati sunt omnes sancti. Sed in individuo errat, credit Cain fore, qui finem calamitatibus inponat, in quas per peccatum satan hominem conjecerat; sed credit hoc sua quadam opinione, sine certo signo & sine verbo certo. Promissio quidem certa & vera erat, sed de individuo nihil erat significatum, quod vel Cain vel Abel esset futurus illo*

ille victor serpentis. Itaque cum de
 individuo statuit Eva, fallitur, &
 frustra tam superbum & letum no-
 men imponit filio. Ejus sententiam
 deinde sequenti tempore multi
 ambabus amplexi sunt manibus.
 Inter quos præcipue nomen su-
 um profitentur *Osiander, Forsterus,*
Fagius, Sal: Glassius, Dav: Rungius,
Helvicus, Waltherus, & alii ma-
 gno numero. Et ita fere omnes
 homiletici scriptores superioris æ-
 vi. Hunc errorem Evæ ex duo-
 bus emanasse principiis, nempe
 nimia incuria, & elato animo
 seu arrogantia, affirmat Glassius
 in *Christolog: Mosaic.* adeoque
 primam hujus propositionis vo-
 cem $\eta\eta\rho\rho$ erroris $\sigma\upsilon\mu\beta\omicron\lambda\omicron\nu$ $\sigma\eta\mu\alpha\upsilon\tau\iota\kappa\omicron\nu$
 esse. Verum enimvero ad-
 modum duram hanc sententiam de
 Matre omnium viventium ferunt,
 sensumque enuntiato huic pla-
 ne a mente illius alienum tin-
 gere videntur. Ita enim Evæ
 con-

conditio fuisset miserrima, si ei
 vera Messiaë cognitio in necessa-
 rio ad personæ ejus dignitatem
 pertinente momento, patefa-
 cta non esset: culpaque in Deum
 redundaret, si genuinum Evan-
 geli Paradisiaci sensum, quo to-
 tius veteris fœderis salus invol-
 vebatur, impertiri noluisse pri-
 mis humani generis progenitori-
 bus, per quos promissionis ejus-
 dem nervus virtusque ad poste-
 ros rite distincteque propagari
 debuit. Tali ignorantia Evæ men-
 tem si occupatam existimare-
 mus, haberent adverbarii, qui
 Servatoris cognitionē flocci pen-
 dunt, aut majestati ejus detra-
 hunt, de quo sibi gratulari pos-
 sent. Nostrum quidem jam non
 est ad vivam resecare omnia,
 quæ heic tradi possent, quippe
 quæ ad aliud pertinent forum.
 Interim tamen, quia manca a-
 lioquin hæc nostra futura erat
 tracta-

tractatio, veniam nobis haud de-
 fore speramus, si pauca huc ad
 illustrandam rem transferimus.
 Itaque statuere nulli dubitamus,
 Evæ mentem jubare *περὶ ευαγγελίας*
 sufficienter fuisse collustratam,
 adeoque illam hæc verba, *possideo*
virum ipsum Dominum, ad Cainū
 nunquam accommodasse, neque
 tam turpiter de persona errasse.
 Testatur enim Spiritus divinus,
 Evam cognovisse, hunc se filium
 ab Adamo concepisse: unde non
 aliter sentire potuit, quam nu-
 dum eum esse hominem, eadem
 obrutum miseria, atque paren-
 tes, ideoque nec tantis præditum
 viribus, ut ipsos, omnesque po-
 steros, a calamitatibus liberaret.
 Eum autem serpentis contrito-
 rem promissio dictabat semen
 tantum mulieris futurum. Rei i-
 gitur convenientius pronuntia-
 mus, Evam his verbis tantum
 confessionem fiduciæ suæ in pro-
 missum

missum Messiam, quem fide possideret, edidisse. Scilicet, in partu acerbissimo, quum pœnana transgressionis a summo Judice sibi injunctam reapse sentiret, voluit hoc effato fidei suæ πληροφορίαν in futurum Servatorem indicare: se nempe tam vere insigni heroicaque fidei firmitate illum filium, qui ex semine ipsius suo tempore veram humanitatem in se suscepturus esset, tenere ac possidere, quam vere hic ei filius, naturaliter esset genitus. Sed regeret aliquis, ipsam nominis ἱππ impositionem arguere, hoc dictum de filio eodem esse intelligendum. Verum respondemus, hanc propositionem minime esse explicationem nominis ἱππ, seu rationem denominationis: sed Eva in perpetuum monumentū salutaris illius possessionis, qua inter dolores mirifice erat delinita, vocavit filium recens natum ἱππ a possidendo.

fidendo, non ac si hunc ipsum haberet pro Messia. Sic enim & Moses vocavit filium suum, Elifer, Exod. 2. 22. nec tamen habuit eum pro Deo auxiliatore. Ne quis autem sententiam hanc inauditam esse dicat, cum id neget, quod antea magno consensu creditum fuit: e re esse putamus, nonnullos eruditos nobis faventes producere. Recte itaque dicit Cla. Starkius, ubi hunc in modum Evam sese explicantem introducit: *Possideo inter ipsos dolores partus, teneoque corde Θεουδεωτον, Redemptorem meum, tanquam peculium meum, prae cuius possessione, possessio divitiarum, gloria, voluptatis, omniumque bonorum temporalium est nihil nisi כה. Cum quo facit D: J. Ern. Gerhardus, ejus haec sunt verba egregia: Eva exclamavit, se jam adquisivisse semen illud promissum, non quod existimaret, Cainum illud semen esse,*

sed

sed quod in nativitate Caini primam
 generis humani multiplicationem cer-
 neret, & in ista multiplicatione ar-
 gumentum suae spei de semine καὶ Ἐ-
 οχῆ suo tempore oriundo. Quod cum
 maxima fidei πληροφασία apprehen-
 deret, & ut praesens sibi sisteret; ita
 nunc loquitur, quasi re ipsa in nati-
 vitate Caini obtinisset, quod argu-
 mento ab ipsa nativitate sumto certa
 fide praestolabatur. Quis est igitur
 qui non advertat, haec Evæ ver-
 ba optime cum Thomæ confes-
 sione, ὁ κύριός μου, καὶ ὁ θεός μου, con-
 gruere? De hac eadem re etiam
 Seb. Schmidius loquitur: quid se
 dixero, Matrem Evæ cum feliciter
 enixa esset filium primogenitum, re-
 cordatam Messie sibi & Marito pro-
 missi, qui futurus esset vir ἡ ἰησοῦς
 αἰθρωπος: recordatam esse, quod se
 illum in carne non videret, posside-
 ret tamen in vera fide &c. His ad-
 jungi possunt celeberrimi Theo-
 logi & Philologi, Calovius, Pfeif-
 ferus,

terus, Majus, Soñtagius, Deutschmannus, Gezelius, Buddeus, J. Franckius, Zeibigius, alii: quorum sententiæ & nos lubentes subscribimus. His probe observatis, existimamus cuique præjudiciis vacuo, horum *Evæ* verborum verum innotescere sensum: quorum illustrationi res familiaris diutius immorari nos vetat. Itaque laboribus his finem imponimus, summoque Numini gratias agimus immortales pro gratia sua nobis præstita: illi enim soli debetur honor & gloria in sæcula sæculorum.



Eruditissime Dn. Respondens.

Invaluit mos optimis in civitatibus;
ut illis tantum ad munera honorifi-
ca accessus pateret, qui labore &
meritis insignes, clarissima industrie
constantique dederunt documenta.
Qui litterarum in studiis inclarisce-
re, fructusque earum publicum in u-
sum aliquando conferre gestiunt, ar-
duam sane premere viam constitue-
runt. Tot namque hi molestiarum ex-
cipiunt vices, tot rerum gravissima-
rum moles in se transferunt, ut
non nisi prestantissima ingenia, impe-
dimentis, que heic obveniunt remo-
vendis, sufficere, merito censeantur.
Que vero Tua Eruditissime Dne Re-
spondens, in litterarum studia sem-
per exstiterit propensio, meum non
est judicare, presertim quum eas
longo ab hinc tempore, bonis omni-
bus satis superque declaraverie. Quo-
circa desunt mihi verba, quibus Tu-
am commendem industriam, Tuosque
in vario scientiarum genere laudem

D

pro-

profectus. Nam Te studiis Philosophicis singulari cum successu operatum fuisse, omnibus constat, & hae Tua dissertatione Philologica, multiplici eruditione referta, ulterius probatur. Tua igitur virtus meruit, ut inter illos litterarum cultores habearis, qui non vilibus nec vulgaribus tenentur, verum qui id, quod pulchrum, quod solidum, quod publica ac privata rei utile, immo, quod in scientiis Divinum est, capaci ingenio amplectuntur. Hae munera partim benigniori natura concessa, partim Tua diligentia comparata, Tibi Amicorum optime, paucissimis quidem verbis sed animo amplissimo Gratulor, pariterque opto, illis olim premiis orneris, quae ingenio Tuo acriter, indite in artium liberalium studiis constantiae, viteque ab incunabulis bene prudenterque instituta, aliquo modo respondebunt. Sic ad, laudit

Officiocissimus

Jacobus Urfinus.
Wiburg.

Carissime Præceptor.

OMnium virtutum cultores quidem, Carissime Præceptor, ut sepe indulgas, laudandi sunt. Interim tamen ille, meo iudicio, maxima laude dignus censendus est, qui non male de aliquo loquitur: nec verba alicujus in alium torquet sensum, quam auctor intenderat: sed excusat, omniaque in bonam partem interpretatur. In horum numero cum tu, C. P. nomen tuum annumeraveris hac tua dissertatione, ubi Matrem nostram communem excusas: itaq; non potui omittere, quin tibi quævis prospera optarem. Meum ergo erit votum, velit Deus te omnis
gene-

generis progressu beare, in No-
minis sui gloriam, & Eccle-
siae utilitatem. Quod toto ex-
pectore & nomine meo &
Fratris mei Friderici voveo.
Semper mansurus tui observan-
tissimus.

Sam. Joh. Forseen.

